



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri  
Viginti**

**Della Porta, Giambattista**

**Frankfurt, 1607**

Prooemivm.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)



IO. BAPTISTÆ  
PORTÆ NEAPOLITANI,  
MAGIÆ NATVRALIS  
LIBER DECIMVS  
SEPTIMVS,

In quo vistoria specula, & mirabiles eorum visiones proponuntur.

PROOEMIUM.



*I*AM ad Mathematicas scientias deuentum est, exigit locus, vt Catoptrica tradantur experimenta, reident enim inter Geometrica, ingeniositate, mirabilitate, utilitateque. Quid enim ingeniosius excogitari potuit, vt imaginarijs animi conceptionibus certissima experimenta subsequerentur? & Mathematicarum demonstrationum vera fides etiam ocularibus experimentis comprobaretur? Quid mirabilius videri poterit, quam vt reciprocis reflexionum ictibus extrorsum imagines in aere pendula viderentur, at nec visibile, nec speculum spectentur? vt non speculorum repercussus, sed spectra, & prestigia videri possint? Vistoria specula non in radiorum coincidentia, sed in longissima distantia, non visiones, sed terrificos ignes & fulgura iaculari;

In bellicis expeditionibus, ne dicam alijs in rebus vtilissima. Legitur Archimedes Syracusis comburentibus speculis Romanorum vires frustrasse, & Ptolemæum Regem in Pharo turrim construxisse, in qua speculum constituerat, vt per sexcenta millia passuum hostium naues, qua suas regiones inuaderent, & depraedarentur conspexisset. Addemus & specilla, quibus lusciosi longe etiam remotissimo interuallo perfectissime omnia contueantur. Et si multa & magna veneranda antiquitas excogitasse visa est, nos maiora, augustiora, illustrioraque trademus, nec parum ad opticam scientiam aspirantibus profutura, vt sublimiora ingenia in infinitum ea possint progredere. Tandem crystallina, & metallica specula effingere, & perpolire demonstrabimus.

*Speculi plani variae apparitiones. CAP. I.*

**A** PLANIS speculis incipiemus, simpliciora enim sunt, & minus operosæ speculationis, et si eius apparitiones fere vulgares, sunt enim sequentibus vsui futuræ, & secretas admiscebimus. Apparentium imaginum varietas, vel ex materia, vel forma speculæ eueniet. Crystallum enim clarum, perspicuum esse oportet, & vtrinque exacte explanatum, quod si alterum, vel vtrunque defuerit, spectra varia, deformia representabunt visui. A materia igitur exordiemur, docebimusque

*Quomodo spectra pallida, crocea, & varie colorata spectanti videantur.*

Vitrum in fornace feruens quantulacumque coloris parte defœdatur, si croceum inieceris, spectantis imago ictérica videbitur, si nigrum, lurida deformi pallore sperneda; si plusculum addideris, Æthiopsis; si rubrum, ebriosis, excandescensque, & tandem cuiusvis coloris  
simu-